



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 35. Laurentii Medicei obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.
A.C. 1492.

Marim. l. 26
c. 2.
Guicciard.
hist. lib. I. §
2. & seq.

mansuetudo, moderatio, & sapientiffimæ leges, quibus justitiæ administratio-
ni, populique saluti providerat, maxi-
mam auspiciatissimi regiminis spem præ-
bebant: Verum haud diuturna fuit con-
cepta felicitas; brevi enim sinistra de A-
lexandro opinio, ac diversa plurimorum
suspicio invaluit. Referunt nonnulli,
comperta ejus electione in lacrimas pro-
rupisse Ferdinandum Neapolis Regem,
cum enim longævo rerum usu exercita-
tissimus esset, futura, quæ imminerent,
mala facile prospexit. Verum ut pau-
cis complectar omnia, ægre admodum
posteris persuasum esse poterit, quomo-
do vir ante Pontificatum supremas Ec-
clesiæ dignitates emensus, tot aliunde
præclaris dotibus auctus, inter tot vitia
Pontificii fastigii splendorem conservare
valuerit: Observant tamen Guicciardi-
nus, alique Scriptores coævi, Cardi-
nales hujus Pontificis electores debi-
tas avaritiæ suæ poenas in hac vita
Deo dedisse.

§. XXXV.

Laurentii Medicei obitus.

*Angel. Po-
lyt. Episc.
Tolar. l. 5.*

Paucis ante obitum Innocentii Mensi-
bus die nona Aprilis e vivis ereptus
est Laurentius Mediceus, Petri de Me-
dicis I., & Lucretiæ Tornaboni sceminae
in

in paucis præstantissimæ Filius, & Frater
 Juliani Medicæi, qui Anno millesimo
 quadringentesimo septuagesimo octavo
 a factione Pazziorum occisus est, ubi idem
 quoque vitæ discrimen tum subibat Lau-
 rentius, qui tamen furentium gladios ef-
 fugiens, hostes suos propulsavit, opem
 sibi ferente Florentino populo, cujus po-
 stea Reipublicæ Princeps salutatus est,
 non solum a suis ob animi celsitudinem
 apprime dilectus, sed etiam maximi ha-
 bitus ab omnibus Europæ Principibus,
 qui non raro Laurentium suarum litium
 arbitrum constituisse gloriabantur. Fe-
 runt etiam, quod ipse Bajazethes Tur-
 carum Imperator hujus Viri amicitiam
 exoptasset, ac propterea eidem Bernar-
 dum Bandinum Juliani sicarium Constan-
 tinopoli captum tradidisset. Præterea
 Laurentius scientias, quibus sub Genti-
 lis Aretini magisterio sedulo imbutus e-
 rat, mira felicitate excoluit, ab omnibus
 merito ævi sui eruditorum Pater, &
 Græcorum exulantium Tutor appella-
 tus. Præcipui, quos inter suos familia-
 res numerabat, erant Christophorus Lan-
 dini, Marsilius Ficinus, Chalcondyles,
 Angelus Politianus, & Joannes Lascaris,
 quem in Græciam misit, ut conquisitis
 ibidem manu exaratis Codicibus Floren-
 tinorum Bibliothecam locupletaret, plu-
 res insuper alios, eosque doctissimos Vi-

æcul. XV.

A.C. 1492.

Macchiav.

hist. Florent.

Paul. Jov. in

vit. Leonis X

Sæcul. XV. ros munificentia sua Florentiam accivit:
A.C. 1492. Invidia tamen mortis nimis præmature
 ereptus est anno ætatis suæ nonnisi qua-
 dragesimo quarto, relictis duobus filiis,
 Petro, qui Patri successerat, & Joanne
 postea ad summi Pontificatus apicem sub
 nomine Leonis X. evecto.

*Paul Jov.
 in elog lib. 3.
 cap. penult.*

*Guicciard.
 hist. lib. 1.*

Princeps erat magnificentia, libera-
 litate, amicitie sinceritate, ac magna-
 nimitate longe celeberrimus, voluptati-
 bus tamen plus justo deditus, ac de fi-
 de & Religione aliquantulum suspectus,
 quem tamen editis haud vulgaribus pie-
 tatis Christianæ signis obiisse testatur An-
 gelus Politianus, eidemque morienti ad-
 stitit, atque in fidei constantia, necnon
 corrigendæ, si mortem effugeret, vitæ
 proposito, atque in generosa mortis ac-
 ceptatione confirmabat celebris Hierony-
 mus Savonarolla: de morte vero Lau-
 rentii, necnon de jactura & publico
 damno omnes Historici prolixis laudibus
 calamos suos exercuerunt, præcipue au-
 tem Franciscus Guicciardinus; quam la-
 te vero, inquit Paulus Jovius, hujus
 magni Principis nomen fuisset diffusum,
 ex eo perspicui potest, quod Sultanus Æ-
 gypti illi Camelopardalim dono misisset.
 Hoc animal est oppido rarum, præalris
 anterioribus cruribus, ac humiliori ter-
 go, brevique suffragine deforme erat,

cervinumque caput duobus insigne corniculis, ac dorsum candidis in orbem maculis inter rufum colorem dispersis, mire varicatum habebat; illud toti Italiae diu mirabili spectaculo fuit, utpote quale ipsis abhinc Romanis temporibus Italia non viderat; cum in extremis Aethiopiae regionibus ad Nili fontes difficillime capiatur, ut refert Aldrovandus in libro I. cap. 35. suae Historiae.

§. XXXVI.

*Casimiri IV. Poloniae Regis extrema.
Joannes Albertus ejus Filius
Successor.*

Hoc eodem anno die septima Junii Casimirus IV. Poloniae Rex antea Lithuaniae Dux, Jagellonis, qui Ladislaus IV. dicebatur, Filius extremum obiit diem, anno aetatis sexagesimo quarto, regni sui quadragesimo octavo. Uxorem habuit Elisabetham Austriacam ab Hungaria dictam, Alberti Austriaci, & Elisabethae de Lucemburgo Hungariae Reginae Filiam, ex qua numerosam suscepit prolem; has inter natu maximus erat Wladislaus Hungariae & Bohemiae Rex: hunc sequebatur Joannes Albertus, qui Patri suo in regno successit; Fridericus Cardinalis, primo Cracoviensis Episcopus, demum Gnesnensis Archi-Præsul:

Sæcul. XV.
A. C. 1492.

Michov. l. 4.

c. 64.

Cromer. l. 28.

29. & 30.